



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

29. Humilitas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

III. *In mansuetudine opera tua perfice,
& super hominum gloriam diligere.* Eccli.
c. 3. 19.

NB. Huc quoque spectat clementia, quæ est virtus, quâ ad moderatè puniendum mitescimus, & pœnas delinquentibus infligendas moderamur. Defectus aliquos, non nimis graves, aliquando dissimulamus, ut graviores caveantur; & ne subditi protervi evadant. In malignos tamen & procaeces severitate utimur, si aliter in officio contineri nequeant. Similiter in eos, qui lædunt bonum commune: dum enim in unum membrum sevimus, in totum corpus clementes nos exhibemus. Intuenda clementia Dei, & Domini nostri JESU Christi prorsus admiranda.

PASSUS XXIX.

Humilitas.

TEXTUS.

*Discite à Me, qui mitis sum,
& humilis corde.* Matth.
c. 11. 27.

Cogni-

Cognitio.

HUMILITAS est virtus, quâ homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit. S. Bernardus.

Actus & motiva.

1. *Seipsum intimè cognoscere, & omnia bona sua, tam naturalia quàm supernaturalia, aliena esse, nempe Dei, verissimè profiteri: & se ex se nihil boni habere, aut posse, sine ulla fictione cogitare, ac certissimum tenere. Cogita igitur, quid fuisti, quid es, quid eris? Quid potuisti, quid potes, quid poteris? Quid meruisti, quid mereris, quid merebis? Ante centum annos quid eras? Nihil: & minus quàm formica.*
2. *Seipsum despiciere, & quoad ea, quæ ex se habet, seipsam vilipendere. & in quacumque re etiam minima, de seipso diffidere. Qualem te cognovisti in primo gradu, talem te æstimare debes in secundo: scilicet tanquam lutum, sordes, nihil, peccatorem inferno dignum; imò dæmonibus ipsis pejorem, qui semel duntaxat peccârunt, tu toties. Deinde diffide tibi penitus. Sine me nihil potestis facere: ait Christus Joan. 15. Et non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra*

fra ex DEO est. Inquit Apostolus 1. Corinth 3 5.

3. *Se omnium minimum reputare, omnibus Dei donis indignum, & ad nova recipienda ineptum.* Talem se quisque potest, sine ulla falsitate, æstimare; quia secundum ea, quæ ex se habet, reverà talis est. Expende tuam fragilitatem, vilitatem, miseriam, ingratitude, malitiam, peccatorum multitudinem tuorum; non aliorum, quæ ignoras, & illis te conforma.
4. *Non cupere ab aliis magni æstimari, honorari, laudari, anteferri; sed omnem honorem & laudem in Deum transferre.* Sequitur ex gradibus antecedentibus: quid enim? Vas sordium, esca vermium, mortis spoliolum, titio flammaram infernalium, honorem & laudem captabit? Quanta insania? *Non nobis, Domine; non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Psal. 113. 9.
5. *Desiderare, quantum in nobis est, contemni ab aliis, & viles haberi; nisi persona dignitas, officii qualitas, proximorum adificatio, & Dei gloria aliud requirant.* Intuere exemplum Christi summè contempti, despecti, conculcati, crucifixi, & Apostolorum, aliorumque Sanctorum. An tu melior es illis? Tunc

in veritate humilis es; si semper & ubique tanto studio & fervore contemptum & vilipensionem desideres ac quæras, quanto mundani ambitiosi, honorem & gloriam.

6. Defectus proprios libenter detegere, & ingentem vilisatem declarare, nisi fratrum edificatio, & voluntas DEI aliud faciendum esse suadeat. Ad hunc gradum obtinendum, candidè aperi peccata tua in confessione sacramentali; & ratione conscientia: defectus, lapsus & errores, coram Superiore, si examineris, libenter fatere, & noli negare. Item coram aliis defectus naturales, & morales leviores, si edificatio adsit, detege. Superbia claudit, quod humilitas aperit: Humilitatis filia est, sui ipsius accusatio. S. Dorotheus doct. 2.

7. Dolere quòd magnifiat, & honoretur, nisi ob gloriam Dei, ratione officii, & dignitatis quam gerit. Et omnem gloriam, auctoritatem, honorem, quem vitare nequit, in Deum referre.

8. Subjicere se Deo, tanquam mancipium Domino, tanquam lutum figulo, ut de se, ad suum beneplacitum, in hac & in altera vita disponat. Humiliamini sub potenti manu Dei. 1. Petri. 6.

9. Subjicere se hominibus propter Deum, præcipuè

cipuè Superioribus, sincerèque se sine ulla difficultate gubernari. Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. 1. Petri. 2. v. 13.

10. In externis functionibus, quantum in se est, abjectiora complecti; ut sinistrum latus in congressibus, infimum locum in congressibus, officia minùs honorata, deteriora vestimenta, cubicula, supellectilia, socios simpliciores, & cetera hujusmodi. Si quis verò ista re ipsâ nequeat, saltem affectu amplectatur: nam in opere debet se accommodare muneri ac dignitati, quam gerit. Recumbe in novissimo loco, ait Christus, Lucæ c. 14. 10. Ipse Redemptor noster ubique & semper elegit viliora, stabulum, præsepe, paribulum.

11. Seipsum ad omnia inutilem, & in conspectu Dei & hominum, tanquam canem mortuum & fœtentem reputare, quem omnes fugiant, & conspectum ejus avertentur. Talem se reputabat David, dicens: Quid persequeris canem mortuum, & pulicem unum. 1. Reg. 24. 15. Canis mortuus & hujusmodi naturalia, coram Deo & Angelis non fœtent; sed peccata: hæc enim sunt coram illis omni forde, omni cane, omni fele, serpente, bufone & dracone fœdiora & graveolentiora.

12. Silentium in confusionibus, accusationibus,

bus , increpationibus , degradationibus
servare , & in his gaudere , exemplo
Christi , qui proposito sibi gaudio susti-
nuit crucem , confusione contemptâ.
Hebr. c. 12. 2. Hic apex humilitatis est,
ad quem ut conscendamus , à minimis,
indies occurrentibus , auspicandum est;
graviora enim occurrunt rarius , ad quæ
tamen ; per minora ascendendo & supe-
rando , ope divinæ gratiæ , tandem per-
tingimus.

Petitio.

Salvator demississime , qui humiliâsti Te
usque ad mortem , mortem autem crucis
ignominiosissimam , ac propterea exaltatus
es : concede mihi veræ humilitatis virtu-
tem ; ut Tibi evadam similior , gratior , &
ad capessenda humilium præmia aptior , ad
gloriam tuam perpetuam. Amen.

Aspirationes.

I. *Quantò magnus es , humilia te in
omnibus , & coram Deo invenies gratiam.*
Eccli. c. 3. 20.

II. *O quàm profunde submittere me debeo,
sub abyssalibus iudiciis tuis , Domine , ubi
nihil aliud me esse invenio , quàm nihil &
nihil* Thom Kemp. L. 3. c. 14.

III. *Humiliamini sub potenti manu Dei;*

ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. Petri c. 5. 6.

PASSUS XXX.

Paupertas.

TEXTUS.

Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Lucae c. 14. 33.

Cognitio.

PAupertas est omnium rerum temporalium, ob amorem Dei, & desiderium perfectionis, voluntaria abdicatio. Mundanorum divitum paupertas Spiritûs in hoc sita est, ut bonis suis cor non affigant; secundùm illud Vatis Regii: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ps. 61. 11.* Utrùm verò cor apposuerint & agglutinati fuerint, in infortunio aut amissione facultatum patet. Religiosi verò affectu & effectu pauperes esse tenentur.

Actus.

1. Omnia personæ & statui superflua dimittere, & in veros pauperes distribuere.